





DE SAPIENTIA, OMNIPOTENTIA, ET  
PROVIDENTIA DIVINA  
EX PARTIBVS INSECTORVM COGNOSCENDA  
EPISTOLARIS DISQVISITIO

48

AD

VIRVM  
NOBILISSIMVM ATQVE  
DOCTISSIMVM  
ALBERTUM  
SEBAM

ACADEMIAE CAESARIAE LEOPOLDINO-CAROLINAE  
NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGAM DIGNISSIMVM,  
SOCIETATIS REGIAE ANGLICANAE, ET  
INSTITVTI BONONIENSIS SODALEM,  
SAGACISSIMVM OPERVM DIVINORVM INDAGATOREM,  
ET VRBIS AMSTELODAMI ORNAMENTVM,

STRENAE LOCO

CVM ANNUM SVPRÆ SEPTVAGESIMVM PRIMVM  
INGRESSVS ESSET, MISSA

A

FRIEDERICO CHRISTIANO LESSERO,  
NORDHVSÆ IN PATRIA AD MONT. MAR. VIRG.  
PASTORE ET ORPHANOTROPH. ADMINISTRATORE

---

NORDHVSÆ CIO, DCCCXXXV STANNO COELERIANO.

DE SAPIENTIA, OMNIPOTENTIA, ET  
PROVIDENTIA  
EPICURAE DISPOSITIO

VIRVM  
NOBILISSIMUM ATQVE  
DOCTISSIMUM  
ALBERTUM  
SEBAM

ACADEMIAE CAESARIS SOPOLINO CA  
ROMANAE CYRILLI COLLEGIUM  
SVM SOCIETATE REGIA ANGLICAE ET  
INSTITUTI HONORIS SOCIAM  
SAGACISSIMVM OPERVM DIVINORVM INDA  
GAREM ET VERIS AMSTELODAMI  
D. N. ANNO 1711



STANAE LEO  
CVM ANNI SVPTA SEPTVAGESIMO  
MILLESI

FREDERICO CHRISTIANO LESKO  
HALLAE IN MONTENAPOLI  
PUBERTVS DE SEBAM

MDCCXXI



Nobilissimo atque Doctissimo

VIRO

ALBERTO SEBÆ,

Academiae caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae  
curiosorum Collegae, Societatis regiae angli-  
canae, et instituti Bononiensis  
sodali,

*Fautori suo perquam honorando,*

f. p. d.

Friedr. Christian, Lesser,

Nordhuf, ad mont. Mar. Pastor.

& Orphanotr. Admin.

S. 1.

**M**VLTA eaque magna sunt beneficia, VIR HO-  
NORATISSIME, quae tenus hac benigne in  
me contulisti, dum mihi non solum binos To-  
mos thesauri tvi, qui vere thesaurus rerum  
naturalium dici potest, donasti, sed etiam varios antehac  
lapides bezoardicos misisti; qui propter ingratus sim oportet,  
nisi publico documento grates tibi, quas possum ma-  
ximas, agerem, simulque omni studio in id incumberem,  
quo tibi placere possim. Cum igitur probe perspectum  
habeam, te quarto Thesauri tvi Tomo descripturum, &  
elegantibus iconismis exhibiturum esse insecta variorum

A 2

ge-

generum, ex omnibus quadripartiti mundi partibus collectorum, imo te solere vel in contemptissimis, ab imperito vulgo maxime spreto animalibus, omnipotentis creatoris polydædalum digitum agnoscere, pauca hic referre volui *de sapientia, omnipotentia & providentia divina, ex partibus insectorum cognoscenda.* Erunt quidem forsitan iniqui rerum æstimatores, qui vitio nobis vertent, quod his quisquiliis (ut ii putant) scrutandis operam tantam damus: verum si sequentia perlegent, forsitan aliter sentient spero, nisi plane stipites sint. Videbunt enim verum esse, quod in communi proverbio dicitur: *Nullibi Deus major est, quam in minimis.*

§. 2.

Vt igitur ad rem me accingam, inter externas partes animalium insectorum considerandum est *Caput*, pars eorum princeps, sine qua diu vita frui nequaquam possunt. Mira est huius  $\pi$  embri insectorum variatio. Jam enim apud nonnulla globosa rotunditate præditum est, jam apud alia in ovalem figuram effectum cernitur, jam in lentiformem orbiculum conditum existit, jam in latitudinem extenditur. Quod si vero secundum accidentia illud spectetur, non minor observatur variatio. Interdum polita lævitate ornatum est, interdum vero crinibus vestitum. Adde quod nonnunquam armatum sit vel unico cornu paulatim reflexo, vel duobus, aut in ramosas extremitates excurrentibus, aut variis geniculis mobilibus. Capitis pars *frons* est, area illa supra oculos extensa, quæ etiam varia formæ gaudet. Vel enim elata in imbonem, vel oblonge exprorecta, vel paulatim depressa existit. Excipiunt hanc bini faciei soles, *oculi*; imo inter-

dum

dum plures, quorum structura ita comparata est, ut vix ali-  
quid admirabilius aut artificiosius occurrere possit. Primo  
namque notatu dignum est, quod sphaerica sunt figura, ut  
multae supra illam cadere possint species perpendiculariter,  
atque in centrum tendere, adeoque vno aspectu videri,  
quod fieri nevtiquam posset, si figura plana efficta essent.  
Deinde non minus mirandum, quod oculi insectorum durae  
sunt pellis. Cum enim palpebris destituantur, supremus  
creaturarum artifex, eorum tunicam corneam duriorum ef-  
fecit, ut hac duritie quasi protectione aliqua munirentur, &  
quasi per palpebram obductam cernant. Quia tamen ob  
crassitiam hujus cutis hebetius videre, necesse est, non mi-  
nus admiratione dignum est, quod diuina prouidentia non-  
nullis ocnlos mobiles dedit, vt eos ad lucem convertere, &  
radios eius excipere, atque sic clarius cernere possint; qui-  
bus vero immobiles dedit oculos, iis hos ipsos ita efformauit,  
vt in vno quolibet oculo appareant areae sex angulorum, in  
quorum singulis cornea conuexa protuberat, haemispheri-  
um simulans, eum in finem, vt, cum insecta eiusmodi ocu-  
lis praedita, oculos pro lubitu circumferre nequeant, his are-  
is quasi tot oculis in parte superiore, inferiore, collateralibus  
positis, vndiquaque dignoscere possint, quicquid vtile  
vel noxium est. Ad latera frontis nonnullorum existunt *an-  
tennae*, quae sunt cornicula variis vsibus apta. Tactu illorum,  
si insecta in tenebrosis locis ambulant, praetentant iter, alia-  
que vel impedimenta vel nocumenta; imo oculorum vice  
iis vtuntur; earum ope insecta oculos, si quid macularum  
illis accidit, purificant; imo interdum genus insectorum in-

dicant, dum longiores mares, iri inores scen. inas indigirant.  
Quodsi vero structuram eorum spectes, certissime ex ea  
artificem Dei manum cognosces. Oculum adhibe micro-  
scopio armatum, quot admiranda tibi patebunt, quæ alios  
larent? Videbis nonnullorum insectorum antennas geniculis  
variis distinctas; aliorum globulis vel læuibus vel pilis vesti-  
tas, & æquali distantia inter se distitis, ornatas; aliorum ali-  
quantulum in arculum reflexas, & plumis quasi instructas,  
Demittamus nunc visum ad *ora* insectorum, ubi non minora  
stupendæ sapientiæ divinæ conspicimus criteria. Nonnyllo-  
rum os *labiis* decoratum est, quæ aliis desunt; aliorum os  
*maxillas* habent, aliorum iis destituitur; nonnullorum ori  
sapientissimus creator *dentes* affixit, quibus edendi munus  
perficiunt: & quanquam ex duro osse non consistit, mirum  
tamen, insecta his instrumentis non folia, cortices & ligna  
solum, sed etiam interdum durissimos lapides comminere  
posse, quam potestatem dubio procul ideo nonnullis indidit  
numen benignissimum, ut, cum nonnulla tantum ex alimen-  
tis durissimis viuant, etiam instrumenta habeant, quibus fa-  
ciliiori ratione cibum ad manducandum aptum reddere pos-  
sint. Quibus vero Deus dentes negauit, illis hunc defectum  
refarciuit, concedendo *forcipem*, ab utroque oris latere in  
medio coeuntem, quo cibos ad mouere possunt. Dum au-  
tem liberrima voluntas diuina manus insectis negauit, quibus  
cibum ori ad mouere possint, nonnullis dedit subtiles *clauiculas*  
ab utroque oris sine exeuntes, & variis geniculatis in-  
internodiis flexiles. His insecta cibum arripiunt, & forci-  
pibus subdunt. Insecta contra, quæ forcipe destituuntur, *lin-*  
*gua*



guz toto aculeus acceperunt, qui ex medio oris exiunt, vel  
ingyrum complicantur, vel extra vsum sub pectus'extensi  
latent. Ejusmodi aculeus vocatur *proboscis*, voce hac ab  
elephantibus mutuata, quoniam insecta ea vtuntur, ad ex-  
sugenda & accipienda nutrimenta. Si quis sagaci curiositate  
paullo diligentius eiusmodi proboscidem rimatus fuerit, in-  
ueniet plura, quibus in admirationem summi creatoris rapie-  
tur. In vagina quadam hic aculeus ceu gladius seruator, ex  
qua insecta eum exmittunt, quoties opus est; & licet tam subti-  
lis sit, vt sine oculo armato vix conspici queat, tanta tamen  
valet duritie, vt non hominum solum, sed etiam densissimam  
ferarum cutim facili negotio perforare possit. Hoc etiam  
insecta sanguinem sugiunt. Jam cogitet quispiam, quam  
multa sint insecta, vnica sanguinis guttula multo minora?  
& tamen per proboscidem sanguinem, cuius auidissima sunt,  
extrahunt; in quot igitur partes vnica guttula diuidatur ne-  
cesse est? Quis vnquam artifex microtechnia sua tam per-  
vulum effingere ipotuit corpusculum, cui tam mirabilem  
internam structuram dare potuerit? Nonne hæc supra homi-  
num vires posita, & tamen in insectis existentia, maiorem  
humanis, imo angelicis facultatibus potentiam, hoc est, divi-  
nam omnipotentiam commonstrant? Nec minori attenti-  
one dignum est, quod neque naso, neque auribus externe, ne-  
que cerebro interne instructa sint, & tamen odoris atque au-  
ditus seu sensu exacte prædita, manifesto indicio, omnipoten-  
tiam diuinam etiam sine ordinariis organis sensum his ani-  
malculis impertire potuisse, alio modo, ac in aliis animan-  
tibus.



Alteram insectorum externam partem constituit *corpus*,  
 cujus elegans & mira fabrica æque ac caput architectonicam  
 diuinæ sapientiæ, omnipotentæ & providentiæ manum satis  
 demonstrat, de qua pauca tantum hic delibabo. Primum  
 quidem, quod *formam* attinet, in aliis in orbis figuram effi-  
 ctum est, in aliis ovali figura præditum, in aliis tubulosa qua-  
 si longitudine protractum, prout insectis pedibus instructis  
 ad progrediendum, pedibus destitutis ad rependum: aliis  
 vero donatis ad æquilibrium inter volandum necesse est; adeo  
 & figura corporum insectorum certo cuique fini respondens  
 a summi numinis digito efficta est. *Cutis* eorum non mollis  
 est, uti cæterorum animalium quadrupedum, bipedum,  
 neque adeo dura, uti testaceorum, sed mediæ cuiusdam  
 inter hæc naturæ, ita tamen comparata, ut ipsis, quando per  
 varia foramina repunt, ne atterantur & lædantur, sic muni-  
 men, deinde ut radiorum solarium ardorem infringat, ne  
 subtilissimæ partes internæ exsiccentur. *Incisuris* vero præ-  
 dita est hæc cutis, quarum alia alias excipiunt, dum inuicem  
 sibi impostæ sunt, sicut squamæ in loriceis, quo ipsa sum-  
 mo opifice ipsis prouisum est, ut, dum per musculos & fibras  
 has articulorum intersectiones contrahunt vel dilant, loco  
 se mouere, & si defensio postulet, contrahere se possint.  
*Corporis pars collum* est. Quæ insecta hoc prædita sunt, iis  
 vel longius vel breuius existit, prout usus horum animalium  
 eorum postulat; imo in nonnullis capitis munimentum est  
 in quod insecta caput recipiunt, si noxam metuunt. *Dorsum*  
 & *pectus* collum excipiunt, quæ sunt partes quædam  
 inte,

inter collum & alvum sita, non minus vsui certo destinata. His subicitur *venter*, qui deo plerumque molliori, quam dorsum cute vestitur, quia proniori sui parte ipsi non facile periculum aliquod perimescendum est; supina vero sui parte dorsi cute defenditur. Hic *venter* tandem in *caudam* exit vel *podicem*, quæ interdum pilis, interdum setis, interdum spinis armatur, quibus, si quid a tergo periculi illis instat, illud arcere possunt; imo & his ipsis cum se compli- cant, caput interdum defendunt. Quædam insecta in aluo *aculeo* armata sunt, qui non minori structuræ artificio com- positus est a Deo, quam ille, quem alia insecta lingua loco in ore habent. De hoc primo attendendum, quod plerumque intra alvum conditus sit, ne corrumpetur, si tam tenue & fragile spiculum extra pateret; deinde, quod hunc aculeum inse- cta pro armis obtinuerint, quibus pungendo contra ag- gressores se defendunt; & tandem, quod in sceminis hic acu- leus sit terebra quædam, qua varias res perforant, & ouula sua in eas emittunt. Quia vero securitatis causa sapius duris- simas res perforare, & ibi oua sua deponere necesse habent, tam exilem cuspidem tanto robore Deus O. M. instruxit, ut etiam durissima corpora terebrando pertransire possit, adeo etiam abjectissimis ouulis vilium animalculorum diuina pro- spexit providentia! Hæc quoque nonnullorum corporibus *alas* adaptavit, & quidem pro statu eorum vel binas, vel qua- tuor, ut cum sapius e longinquo cibum querere debeant, facile eo euolare queant, quo lubet vel necesse est. Magna nos subit admiratio, si microscopio aliquo paulo penitius ar-  
B  
tifi-

officiosam earum structuram rimamur. Plurimorum alæ  
 nervis donatæ sunt, quibus eas vel expandere, vel contra-  
 here possunt, prout volatus ratio id postulat. Quorum alæ  
 apteræ sunt, eæ vel membranaceæ vel farinaceæ videntur.  
 Inter nervos membranaceorum conspiciuntur reiformes ma-  
 culæ, quarum lemnisci vel quadrati, vel rhomboidales, vel he-  
 xagoni miro & jucundo oculorū spectaculo deprehenduntur.  
 Alarum farinacearum pulvis, quo inspersæ nobis videntur,  
 si eas nudis oculis contemplamur, oculo armato constare  
 deprehenditur vel ex pilis, vel ex plumis, usque  
 subtilissimis, quibus manu absteris membranacea cutis vel  
 potius rete pater. Quæ alas habent coleopteras, non minori  
 diligentia spectanda sunt. Eorum alæ inferiores, quæ a supe-  
 rioribus quasi septo muniuntur, admodum subtili gaudent  
 membranacea cute, & quæ in nonnullis insectis longiores  
 sunt elytris suis, nervis a sapientissimo creatore sunt donatæ,  
 ut eas extra volandi negotium complicare, & veluti sub te-  
 ctum contra injurias tutum recipere possint. Alæ vero su-  
 perjacentes inferioribus, quas elytra vocamus, crustosa qua-  
 si sunt, scilicet ut inferiorum subtilium alarum vires integras  
 tueantur.

§. 4.

Tertiam nonnullorum insectorum externam partem  
 constituunt *pedes*. Vocantur ejusmodi insecta his prædita  
 empoda seu pedata. Mira hic datur varietas, si pedum nu-  
 merum spectes; siquidem nonnulla quatuor, alia sex, alia  
 octo, alia quatuordecim, alia sexdecim, alia viginti quatuor,  
 alia

alia triginta, alia sexaginta sex, alia pluribus pedibus instru-  
ta sunt. Mira præterea est structura. Nonnulla pedibus  
donata sunt brevibus quidem, sed tamen crassioribus, vel  
unica tantum articulatione præditis. Alia habent pedes lon-  
gos, variis geniculis distinctos, quæ vi elastica gaudent, ut  
eo melius exsilire possint. Quumque Deus T. O. M. pedes  
his concesserit non ad progrediendum solum, sed etiam ad  
tangendum objecta, ad purificandos oculos, ad defensio-  
nem sui, ad perfodiendam terram, ad natandum; etiam ad  
consequendos hos fines pedes vel unguiculis, vel aliis adju-  
mentis instruxit. Non tamen putandum, ac si apoda inse-  
cta mira arte destituantur. Certe si observamus modum re-  
ptionis eorum, magna nos adficiet admiratio. Ope enim  
musculorum incisurarum commissuras attrahunt a postero-  
ri, & a prioribus protrudunt, atque sic pedetentim ab uno  
loco ad alium tendunt.

§. 5.

Ante vero, quam ab externis insectorum partibus ad  
eorum internas ebeam; duo tantum notabo, quorum alte-  
rum est multorum parvitas, alterum aliorum pulchritudo,  
Ut de pulchritudine prius disseram. Ea potissimum in mira  
colorum varietate & eorum insensibili fere mixtione confi-  
sit, quæ partim in corporibus, partim in alis nonnullorum  
insectorum attenditur. Alia insecta, nive quasi lota, liliorum  
candorem; alia coeruleum æquoris colorem; alia croceam  
auroræ faciem; alia nigram picis fuliginem; alia purpureum

variarum ruorem; alia viridantem herbarum decorem præ-  
ferunt; in nonnullis nativum aurum vel argentum inter-  
micat; imo interdum hi colores varias figuras efformant.  
Certe, qui hanc tam variam, tam multiplicè elegantiam atten-  
tius inruetur, næ is magnificum illum Deum, opulentia hujus  
auctorem agnoscat? qui non solum pavones gemmeo ala-  
rum fulgore, conchas variorum colorum splendore, & flo-  
res multicolori eleganti ornavit, sed etiam his tam parva,  
tam abjecta animalia vestivit. Quodsi præter pulchritudinem  
nonnullorum insectorum *parvitatē* attenta animi meditatio-  
ne perlustramus, maxima de minimis hæc nos invadet ad-  
miratio. Tam exilia nonnullorum insectorum sunt corpora,  
ut oculo inermi vix conspici possint? Quid igitur putas  
quanto subtiliora erunt eorum membra, muscoli, intestina?  
quanto subtiliora succi & alimenta, quæ illa transeunt? Mi-  
rentur alii artificum opera parva, quæ tamen per microscopia  
scabra & rudiora videntur; nos mirabimur potius has  
parvas Dei creaturas, quæ per microscopia examinata, bone  
Deus! quanto lævore, quam incredibile nitidaque eleganti-  
a conspicua sunt? Mirentur alii opificia minura, manibus ho-  
minum artificiosorum effecta, quæ tamen interna destituuntur  
structura; nos mirabimur potius has exiles elegantias  
quæ admirabili interna architectura manibus summi opificis  
exstructa sunt. Nos tribuamus Deo, quæ Plinius ethnicus  
naturæ tribuit, peracute ita L. xi. Hist. natural. C. ii. scribens:  
*In magnis siquidem corporibus, aut certe majoribus facilis offi-  
cina sequaci materia fuit. In his tam parvis, atque tam nullis,*  
quæ

qua ratio, quanta vis, quam inextriabilis perfectio? Ubi tot  
 sensus collocavit in culice? & sunt alia dictu minora. Sed ubi  
 visum in eo prætendit? ubi gustatum adplicuit? ubi odoratam  
 inseruit? ubi vero truculentam illam & portione maximam vo-  
 cem ingeneravit? qua subtilitate pennas adnexuit? prælongavit  
 pedum cura? disposuit jejunam caucam uti album, avidam  
 sanguinis, & potissimum humani litim accendit? Telum vero  
 perfodiendo tergori, quo spicularvit ingenio? Atque ut in capaci  
 cum cerni non possit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut  
 fodiendo pariter sorbendoque fistulosum esset. Quos terredini  
 ad porforanda robora cum sono dentes affixit, potissimumque e  
 ligno cibatum fecit? Sed turrigeros Elephantum miramur hu-  
 meros, taurorumque colla, & truces in sublime jactus, tigrum  
 rapinas, leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis, quam  
 in minimis tota sit. Cum igitur Deus omnipotens horum  
 animalculorum sit fabricator, hinc etiam sæpe iis utitur, ad  
 infligendas impiis pœnas, de quibus recte vir cruditissimus  
 Hieron. van Alphen, S. Theol. Doctor & Prof. Academia Utra-  
 que, in solida Pl. cxi. explicatione, quam honoris causa  
 tibi dedicavit, quamque gratus a te accepi p. 35. ita scribit:  
 Gelf het allergeringste ongediertie, heeft syne wel geschickte le-  
 degkens, waardoor 't sich selven onderhoudt, en syn soertgely-  
 ken voortbrengt, opdat het den HEERE, als hy plaagen over  
 een land wil brengen, als syn groot heyr diene, volg. Joël. 1. 4.  
 Il. 25.

§. 6.

Si nunc paulo penitus internas insectorum partes spe-

B 7

cto,

Et, etiam hic, quæ mirer, inuenio. Quanquam enim nec carnem, nec adipem, nec ossa, nec spinas, nec sanguinem, nec cor, nec jecur, nec renes, nec stomachum habeant, habent tamen alias partes memoratu dignas. Cerebri & carnis loco ipsis omnipotens numen concessit aliquid mediæ cujusdam inter hæc naturæ, arcenti simile, nervo mollius, sed carne siccius. Sanguinis loco ipsis dedit succum quendam, per venas discurrentem, qui viscosus est, & vel abtissis membris effluit, vel pressis insectis effunditur. Oesophagi, stomachi & viscerum vicem explet canalis, ab ore per totam corporis longitudinem ad foramem, ultimo caudæ loco vicinum, porrectus. Circa id intestinum venarum & arteriarum vicem præstant varia filamenta tenuissima. Pulmonibus quoque instructa sunt: imo plerumque maiores, quoad proportionem corporis habent, quam animalia perfectiora.

§. 7.

Possem plures observationes addere, illasque specimenibus ex insectorum familia illustrare, illustratas autem experimentis comprobare, comprobatas Scripturæ dictis, si quædam extant huc quadrantia, confirmare, vti hoc in *lithotheologia mea*, quæ nuper Hamburgi prodiit, feci; sed terminos epistolæ hæc excederent. Quapropter illa vberiori disquisitioni Entomothæologiæ seu Insectothæologiæ meæ reservo, publicæ luci exponendæ, si modo æquus mihi obvenerit bibliopola, qui laborem in eius scripturæ exantlatum justo honorario compensare, utque suis sumptibus charta pulchra, typis nitidis, & iconismis accuratis exprimatur, curare velit. Ut autem scias, **VIR HONORATISSIME**, quid tibi in hoc tractatu

ex.



expectandum sit; ſciagraphiam totius operis ſic habe. Di-  
videtur in duas partes, præmiſſo proœmio, in quo de huius  
operis inſtituto & utilitate agam. Pars prima ſiſtet Libro I.  
Cap. I. *Creationem & generationem inſectorum*; ubi demonſtra-  
bo hæc animalcula non a ſola natura, nec a principio malo,  
ſed a Deo creata eſſe, neque ex putredine, ſed a ſemine & o-  
vulis generari. Capite ſecundo agam de inſectorum *diviſi-*  
*one*, ubi & terreſtria & aquatica diſpeſcam in apoda & empō-  
da, atque hæc rursus in non alata & alata; hæc vltima vero  
in aptera vel membranaceis vel farinaceis alis, & coleoptera.  
Tertio capite diſſeram de inſectorum magno ac celeri *pro-*  
*ventu & incremento*. Quartum caput oſtendet *diſtinctionem*  
vtriuſque maſculini & ſceminini *generis* eorum. Quintum ca-  
put demonſtrabit inſectorum *habitationem* in locis liquidis,  
terrenis, lapideis; item in plantarum & arborum partibus;  
imo in animalibus quadrupedibus, natantibus, volatilibus,  
aliis inſectis & hominibus, eorumque externis & internis par-  
tibus ac excrementis. Sexto capite docebo *cibum* eorum, quo-  
modo iſ ſapientiffime proviſus ſit, & varie ab inſectis in vltim  
vertatur. Septimo capite varius eorum *motus* ſiſtetur. Octa-  
vo capite eorum *decortatio & tranſmutatio* ob oculos pone-  
tur. Nono capite *arma* eorum tum deſenſiva, dum offenſiva  
adnotabo. Decimo capite *ſegetum* eorum deprædicabo. Et  
vndecimo capite mirabor inſectorum *ſagacitatem* in eligendo  
tempore incubationis & abſconſionis; in diiudicando loco ab-  
ſconſionis; in excludendis ovulis; in componendis nidis; in  
parando cibo, in conficiendis retibus; in inſtituendo imperio,  
coloniis, adiumento, aliisque. Libro primæ partis ſecundo  
agam

agam Cap. 1. De insectorum *sensibus*. Cap. 2. de eorum *partibus* tam externis, quam internis. Cap. 3. de *qualitatibus* eorum quibusdam *singularibus* e. g. quod nonnulla parvissima dentur, quae & pulchra sint, quod noctu luceant, quod clara voce gaudeant, quod odorem fundant, quod aquas tingant, quod calculis laborent. Pars secunda iterum duobis constabit libris. Sistet nempe liber primis *usum* insectorum, & quidem Capite primo ostendetur, quid in *vita communi* ad esum, & potum, ad vestitum, ad tutelam, ad expurgandum aerem praestent, Capite secundo eorum *usum in theologia* demonstrabo, Capite tertio ob oculos ponam eorum *usum in medicina*, tam interne, quam externe in hominibus & animalibus exhibendum. Capite quarto eorum *collectionem & educationem*. Partis secundae libro secundo percurram *damnum & abusum* insectorum & quidem capite primo *in vita communi*, secundo *in theologia*, tertio *in iure*, quarto *in medicina*, & quinto *de avertendo damno*.

§. 8.

Hæc sunt, VIR DOCTISSIME, quæ honoris & gratitudinis causa tuis publicis ad TE scribere volui, ut praesentes & posteris documentum habeant, TE beneficia non ingrato collocasse. Dum vero nuper die xiii Maji lucem annuam, quam principem vitæ Tuae habuisti, septuagesima vice celebrasti, ex animo voveo atque ardentissimis precibus contendo, ut Dei optimi maximi omnipotentia, quæ omnia creavit; sapientia, quæ cuncta gubernat; providentia, quæ omnia conservat, TE operum suorum, etiam minorum, indefessum indagatorem, venerabundum admiratorem, & religiosum præconem diu servet incolumem, & hunc festum natiuitatis Tuae diem sæpius felicem redire jubeat, ut omnes res tuas, præsertim incomparabilis thesauri Tui residuas duas partes ex voto peragere possis. Vale. Dabam in imperiali Nordhufa, ad fauces Hercyniæ lita die xx Maji, c13 D CCXXXV.

00 A 6274

ULB Halle

3

002 913 380



56

18

Reha ✓



DE SAPIENTIA, OMNIPOTENTIA, ET  
PROVIDENTIA DIVINA  
EX PARTIBVS INSECTORVM COGNOSCENDA  
EPISTOLARIS DISQVISITIO

48

AD

VIRVM  
NOBILISSIMVM ATQVE  
DOCTISSIMVM  
ALBERTUM  
SEBAM

ACADEMIAE CAESARIAE LEOPOLDINO-CAROLINAE  
NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGAM DIGNISSIMVM,  
SOCIETATIS REGIAE ANGLICANAE, ET  
INSTITVTI BONONIENSIS SODALEM,  
SAGACISSIMVM OPERVM DIVINORVM INDAGATOREM,  
ET VRBIS AMSTELODAMI  
ORNAMENTVM,

STRENAE LOCO

CVM ANNUM SVPRÆ SEPTVAGESIMVM PRIMVM  
INGRESSVS ESSET, MISSA

A

FRIEDERICO CHRISTIANO LESSERO,  
NORDHVSÆ IN PATRIA AD MONT. MAR. VIRG.  
PASTORE ET ORPHANOTROPH. AD-  
MINISTRATORE

NORDHVSÆ CIO DCCCXXXV STANNO COELERIANO.

